Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26261
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ut non expauescerent dicens ei. Forti animo esto ne timeas
gladium diaboli. ecce modo appropinquat corona nostra.
Erat autem turba inestimabilis quinquaginta milia uirorum
exceptis paruulis et mulieribus; quorum numerus non esti
mabatur. Tunc diocletianus sancto uito dixit. Vite uite ui
des? Ille autem eleuans oculos aspiciebat in celum. Imperator
iterum dixit. Vbi te uides? Sanctus uitus dixit. Uideo me in
amphiteatro esse. si quid facturus es fac celeriter. Tunc
diocletianus dixit. Consule anime tue et sacrifica diis mag
nis. Sanctus uitus dixit. Numquam bene tibi sit lupe rapax decep
tor animarum. miror frontem tuam. nam si canis dicitur exi
foras erubescit et exit tu uero non erubescis. Tunc diocle
tianus iussit ministris suis clibanum preparare. et plumbum
et resinam et picem in eo solui. Et fecerunt ministri sicut
dixerat eis. Imperator dixit. Ecce modo uideo si deus eorum potest
eos eripere de manibus meis. Sanctus uitus Christi signaculo facto
iactatus est in medio olle. Feruebat autem sicut mare.
Angelus autem domini extinxit feruorem olle. Et stans beatis
simus uitus in medio. ymnum dicebat. Qui liberasti
filios israhel de terra egypti et de manu seruitutis per
moysen et aaron seruos tuos. fac nobiscum misericordiam
tuam secundum nomen tuum. Et respondit sanctus uitus et dixit.
Quid est diocletiane. Ubi sunt minę tuę. Gratias ago tibi
quia fecisti nobis lauacrum ut tinam et sabanam preparares.
Et uniuersus populus clamabat dicens. Nos tanta mirabilia
numquam uidimus. Vere magnus est deus huius infantis.